



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum ingratitude sit peccatum? 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

aliquid maius patri retribuere, vt Seneca dicit in 2. de Beneficijs f. Si tamen non posset, sufficeret ad gratitudinem recompensandi voluntas.

f. lib. 2. c. 11. et 17.

Ad secundum dicendum, quòd debitum gratitudinis ex charitate deriuatur; quæ quanto plus soluitur, tanto magis debetur, secundum illud ad Rom. 13. Nemi- ni quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Et ideo non est inconueniens, si obligatio gratitudinis interminabilis sit.

Ad tertium dicendum, quòd sicut in iusticia, quæ est virtus cardinalis, attenditur æqualitas rerum: ita in gratitudine attenditur æqualitas voluntatum: vt scilicet sicut ex promptitudine voluntatis beneficium aliquis exhibuit, ad quod non tenebatur, ita etiam ille qui suscepit beneficium, aliquid supra debitum recompenset.

QVÆST. CVII.

De Ingratitudine, in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de ingratitude.

¶ Et circa hoc quærentur quatuor.

- ¶ Primo, vtum ingratitude semper sit peccatum?
- ¶ Secundo, vtum ingratitude sit peccatum speciale?
- ¶ Tertio, vtum omnis ingratitude sit peccatum mortale?
- ¶ Quarto, vtum ingratia sint beneficia subtrahenda?

ARTIC. I.

Vtrum ingratitude sit semper peccatum?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quòd ingratitude non semper sit peccatum. Dicit enim Seneca in 2. de Beneficijs *, quòd ingratus est qui non reddit beneficium. Sed quandoque aliquis non posset recompensare beneficium, nisi peccando: puta si auxiliatus est homini ad peccandum. Cùm ergo abstinere à peccato non sit peccatum, videtur quòd ingratitude non semper sit peccatum.

560
Intra 9.
162. a 4.
ad 3.
* li. 3. c. 1.
circa mo-
dum.

¶ 1. Præ-

* *li. 3. de lib. arbit. c. 17. Et lib. 1. re. tract. c. 9. ante me dñ. 10. 1. ¶ li. 3. c. 1. in medio illius.*
 ¶ 2 Præterea, Omne peccatum est in potestate peccantis: quia secundum August. * nullus peccat in eo quod vitare non potest. Sed quandoque non est in potestate peccantis ingratitude vitare: puta, cum non habet unde reddat. Oblivio etiam non est in potestate nostra, cum tamen Seneca dicat in tertio de Beneficijs †, quod ingratus omnium est qui oblitus est. Ergo ingratitude non semper est peccatum.

¶ 3 Præterea, Non videtur peccare qui non vult aliquid debere: secundum illud Apostoli ad Rom. 13. Nemini quicquam debeatis. Sed qui inuitus debet, ingratus est, vt Seneca dicit in 4. de Beneficijs *. Ergo non semper ingratitude est peccatum.

SED contra est, quod 2. ad Tim. 3. ingratitude connumeratur alijs peccatis, cum dicitur, Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est *, debitum gratitudinis est quoddam debitum honestatis, quam virtus requirit. Ex hoc autem aliquid est peccatum, quod repugnat virtuti. Vnde manifestum est, quod omnis ingratitude est peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod gratitudo respicit beneficium. Ille autem qui alicui auxiliatur ad peccandum, non confert beneficium, sed magis nocumentum. Et ideo non debetur ei gratiarum actio. Nisi forte propter voluntatem bonam, si sit deceptus, dum credidit adiuuare ad bonum, & adiuuit ad peccandum. Et tunc non debetur talis recompensatio, vt adiuuetur ad peccandum: quia hoc non esset recompensare bonum, sed malum; quod contrariatur gratitudini.

Ad secundum dicendum, quod nullus propter impotentiam reddendi, ab ingratitude excusatur: ex quo ad debitum gratitudinis reddendum sufficit sola voluntas, vt dictum est *. Oblivio autem beneficij ad ingratitude pertinet, non quidem illa, quæ provenit ex naturali defectu, qui non subia-

est voluntati; sed illa quæ ex negligentia provenit. Ut enim dicit Seneca in tercio de Beneficijs *, Ap-
 parer illum non sæpe de reddendo cogitasse, cui obre-
 pfit obliuio. *lib. 3. c. 1. in fi. ill. 2.*

Ad tertium dicendum, quod debitum gratitudinis ex debito amoris deriuatur, à quo nullus debet velle absolui. Vnde quod aliquis inuitus hoc debitum debeat, videtur provenire ex defectu amoris ad eum, qui beneficium dedit.

ARTIC. II.

Vtrum ingratiudo sit Speciale peccatum?

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod ingratiudo non sit speciale peccatum. Quicumque enim peccat, contra Deum agit, qui est summus benefactor. Sed hoc pertinet ad ingratiudinem. Ergo ingratiudo non est speciale peccatum. *561 3. q. 88 a. 4. et 4 d. 22. q. 1. a. 2. q. 1.*

¶ 2 Præterea, Nullum speciale peccatum sub diuersis peccatorum generibus continetur. Sed diuersis peccatorum generibus potest aliquis esse ingratus: puta, si quis benefactori detrahat, si quis furetur, vel aliquid aliud huiusmodi contra eum committat. Ergo ingratiudo non est speciale peccatum.

¶ 3 Præterea, Seneca dicit in 3. de beneficijs *, Ingratus est qui dissimulat: ingratus qui non reddit: ingratiſſimus omnium qui oblitus est. Sed ista non videntur ad vnã peccati speciem pertinere. Ergo ingratiudo non est speciale peccatum. *lib. 3. c. 1. circa medium.*

SED contra est, quod ingratiudo opponitur gratitudini, siue gratiæ, quæ est specialis virtus. Ergo est speciale peccatum.

RESPONDEO dicendum, quod omne vitium ex defectu virtutis nominatur, qui magis virtuti opponitur: sicut illiberalitas magis opponitur liberalitati, quàm prodigalitas. Potest autem virtuti gratitudinis aliquod vitium opponi per excessum: puta, si recompensatio beneficij fiat, vel pro quibus non debet, vel citius quàm debet, vt ex dictis patet. Sed magis opponitur gratitudini vitium, quod est *art. præc. et q. 106. ar. 4.*